catoribus veram cordis conversionem et remissionem, justisque profectum concedat et perseverantiam, ut omnes propinquos, benefactores, amicos tuos, imo et adversantes tibi, vel eos qui te aliquando molestia affecerunt, vultu sereno et acceptabili respiciat; omnibusque fidelibus defunctis lucem æternam et requiem indulgeat.

His vel similibus exercitiis, prout Religio tibi suggesserit, peractis, cor tuum et sensus externos omni custodia conservare satages, crebrisque per diem piis affectibus, ne tanti memoria beneficii dilabatur, summam Dei erga te dignationem compensare conaberis. Cum autem ea sit humani ingenii conditio, ut illi pretiosiora quæque ex usu vilescant et tædium afferant; ne repetitis semper iisdem actibus fervor languescat charitatis, subjiciuntur tibi quædam meditationes de præcipuis Christi dotibus, quarum sensus si attente et sedata mente ponderaveris, non modicum fructum reportabis.

MEDITATIONES

ANTE ET POST SACRUM,

PRO SINGULIS HEBDOMADÆ DIEBUS.

DOMINICA.

JESUS DEUS NOSTER.

Quis venit? Christus Jesus : *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (1) : *Quem constituit* Pater *hæredem universorum, per quem fecit et sæcula : Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verba virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis :* Qui *tanto melior Angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit Deus aliquando Angelorum : Filius meus es tu; ego hodie genui te? Et rursum : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Unde *et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent illum omnes Angeli Dei* (2).

Nec minori cultu dignus est Jesus ille noster in Eucharistia, sub speciebus panis et

(1) Rom. 9, 5. — (2) Hebr. 1, 2 ad 7.

vini delitescens; utpote qui cum omnibus suis dotibus et attributis ibi resideat, majestate nimirum, omnipotentia, æternitate, immensitate, sapientia, bonitate, justitia, et misericordia; omniaque ista simul cum humanitate sua in hoc sanctissimo recondat Sacramento, ne videlicet opprimaris a gloria.

Mirare igitur summam Dei sancti hujus erga te benignitatem, dicendo cum Propheta : *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator* (1) : et rursum : *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? si cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc mea* cœnosa et sordibus referta (2) ?

2. *Ad quem venit?* Ad te pauperculam et vilissimam creaturam, quæ Deum et Creatorem contemnens, *mutavit gloriam suam in idolum* (3) : dereliquisti enim Dominum Deum tuum; confregisti jugum ejus, rupisti vincula ejus; dixisti, Non serviam; et ad Deos alienos, mundum, carnem, satanam declinasti.

Et nunc revertere aversatrix anima, scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum (1). Ante majestatem tantam ad cujus nutum columnæ cœli pavent et contremiscunt, perfidiam et ab-

(1) Isai 45, 15. — (2) 2 Paral. 6, 18. — (3) Jer. 2, 11. — (4) Ibid. 19.

jectionem tuam confitere, exemplo illius cujus erat ista vox (1).

Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem (2). *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus : quanto magis abominabilis et inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem* (3)?

3. *Ad quid venit?* Ut se tibi totum communicet, et cum ipso maxima et pretiosa donet promissa, ut divinæ efficiaris consors naturæ, vita illius vivas, ipsi coaduneris, unus fias spiritus et una caro, atque æternæ vitæ pignus accipias (4) : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Qui manducat me et ipse vivet propter me. Qui manducat hunc panem vivet in æternum* (5).

Ad tantam Dei erga te stupefactus munificentiam, totus in laudibus et gratiarum actionibus effundaris, ac cœlestium spirituum choris qui undequaque altare circumdant, venerabundus immiscere, sæpius istud Apocalypsis iterando : *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et*

(1) Job. 26, 11. — (2) Job. 4, 17. — (3) Ibid. 15, 15. — (4) 2 Pet. 1. — (5) Joan. 6.

gloriam, et benedictionem (1). Demum ditioni ejus et imperio totum te consecra, ex intimo pietatis affectu cum Psalmista dicendo : *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum* (2).

FERIA II.

JESUS REX NOSTER.

1. *Quis venit?* Christus Jesus. *Rex Regum et Dominus Dominantium* (3). *Qui constitutus est Rex a* Deo *super sion montem sanctum ejus :* cui Pater *dedit Gentes hæreditatem, et possessionem ejus terminos terræ* (4). Ille Jesus sapientia æterna Patris cujus sunt *consilium et æquitas, prudentia et fortitudo, divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia :* per quem *Reges regnant, et legum conditores justa decernunt;* per quem *potentes imperant, et potentes decernunt justitiam* (5). Rex ille cujus militum non est numerus (6) : nam *millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei* (7).

Obstupesce igitur, tantam præpotentis hujus Principis demiratus dignationem, qui in pectore tuo tanquam in regia sua commorari peroptat, et in anima tua veluti in

(1) Apoc. 5, 12. — (2) Ps. 16, 1. — (3) Apoc. 19, 16. — (4) Ps. 2, 6. — (5) Prov. 8. — (6) Job. 25, 3. — (7) Dan. 7, 10.

throno suo sedere ; iisque utere vocibus : *Domine, quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum* (1) ? Quasi vero non sit *homo putredo, et filius hominis vermis* (2) !

2. *Ad quem venit?* Ad servum infidelem, qui, cum ei decem millia talenta debeat, nihil habet ex quo tanto debito valeat satisfacere (3). Ad subditum perduellem, qui sæpius hanc nefariam emisit rebellionis vocem : *Nolumus hunc regnare super nos* (4). Ad ingratum qui multis a Rege suo muneribus auctus, multis donis ampliatus, ad hostilia castra frequenter transvolavit, et crudele bellum adversus supremum Dominatorem suum machinatus, arma in ipsius defensionem comparata contra ipsum convertit; omnes animæ suæ facultates, omnia corporis membra et organa, sensusve suos ad peccatum inflectendo.

Ad pedes clementis et benigni Regis tui provolutus, tuam confitere perfidiam ; et summum ipsius in te professus dominium, cum Propheta dicito : *Tu es ipse Rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob* (5). Sed et roga eum et obsecra, ut adveniat in te regnum ipsius; nec peccatum regnet amplius in tuo mortali corpore (6); neve *domi-*

(1) Ps. 8, 5—(2) Job. 25, 6.—(3) Matth. 18, 24. —(4) Luc. 19, 14. — (5) Ps. 43, 5.—(6) Rom. 6, 12.

netur tui *omnis injustitia* (1); sed virtute sua sibi subjiciat quidquid in te suo adversatur imperio, iis utendo vocibus : *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui* (2); vel istis : *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus, sicut deficit fumus deficiant* (3).

3. *Ad quid venit?* Non ut perfidum administratorem jubeat venundari, et omnia quæ ipsius sunt subjiciat servituti; non ut transfugum, compedibus alligatum, cruciandum tradat tortoribus : sed ut, vel sui ipsius periculo, solvat eum a captivitate, atque a morte probrosa liberet. Attende et vide *Regem* illum *Salomonem, cum diademate* spineo *quo coronavit eum* Synagoga *mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus* (4); inspice sceptrum arundineum, chlamydem coccineam, sputa, colaphos, flagella, clavos, crucem, ludibria, et omnis generis tormenta, quorum memoriam in hoc sancto recolis sacrificio. Quid sentis de Deo tuo, de Rege tuo? Sic igitur tuas injurias non nisi maximis repensavit beneficiis.

Adde quod et beneficia tanta novis muneribus cumulavit; non enim te ut servum, sed

(1) Ps. 118.—(2) Isai. 26, 13.—(3) Ps. 67.—(4) Cant. 3, 11.

inter familiares et amicos unanimes ac intimos adscitum, mensæ suæ te assidere fecit, in qua cibo Angelorum saginaris, et pane pasceris delicias præbente regibus. Quid plura? ut fidissimo in opere redemptionis hominum coadjutori, universos gratiæ suæ tibi concredidit thesauros. *Sic* nempe *honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare* (1). Nonne ergo æquitati consonum, ut tam grandi munere donatus, e corde tuo erumpat ista Psalmistæ grati animi testificatio? *Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in sæculum sæculi* (2); *Quoniam Deus magnus Dominus et Rex magnus super omnes Deos* (3).

FERIA III.

JESUS MAGISTER NOSTER.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, qui ut est Deus et verbum Patris, *lux est vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (4) : et quatenus homo, *datus est testis populis, dux et præceptor Gentibus* (5), ille est de quo Dominus ad Moysen ait : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, et loquetur ad eos omnia quæ præce-*

(1) Esth. 6, 9.—(2) Ps. 144.—(3) Ps. 94, 3.—(4) Joan. 1, 9.—(5) Isai. 55, 4.

pero illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam (1).

Promissum istud adimplevit Deus in plenitudine temporum : *Multifariam enim multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (2). *Apparuit,* si quidem, *gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut, abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (3). Unde et in monte, dum transfiguraretur Christus, audita est ista vox æterni Patris : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (4).

Exsulta igitur et lætare, fili Sion, quia, in hoc sanctissimo Sacramento, dedit tibi Deus doctorem justitiæ (5) *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (6). Namque *non faciet a te ultra avolare doctorem tuum, et oculi tui videbunt præceptorem tuum, et aures tuæ audient vocem post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram* (7). Ora ergo eum et obtestare, ut erigat tibi aurem cordis, et audias eum quasi magistrum (8), atque ex intimo

(1) Deut. 18. — (2) Heb. 1. — (3) Tit. 2. — (4) Matth. 17. — (5) Joel 2. — (6) Coloss. 2. — (7) Isai. 30. — (8) Ibid. 40.

affectu dicito : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (1).

2. *Ad quem venit?* Ad rudem et indocilem discipulum, qui præcepta Domini sui et sanam doctrinam non sustinens, coacervavit sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertit, ad fabulas autem conversus est (2); qui vocem Christi unius magistri sui despiciens, prophetis prophetantibus mendacium manibus applausit (3). Quoties enim, eloquia sapientiæ et disciplinam Domini Dei tui detrectatus, instigantibus mundo, carni, satanæ, morem gessisti! Quoties Christo legem suam ad aures tui cordis afflanti, si non verbo, saltem factis respondisti : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (4) : *Durus est sermo* tuus, *et quis potest eum audire* (5)? Nonne iis annumerari posses ad quos spectabat hæc Salvatoris exprobratio : *Sermo meus non capit in vobis* (6); et ista Dei apud Jeremiam objurgatio : *Populo huic factum est cor incredulum et exasperans, recesserunt et abierunt* (7)?

Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum tuum prævaricatus es, et dispersisti vias tuas alienis, et vocem meam

(1) 1 Reg. 3. — (2) 2 Tim. 4. — (3) Jer. 31. — (4) Job. 21. — (5) Joan. 6. — (6) Ibid. 8. — (7) Jer. 5.

non audisti : convertere, fili revertens, ait Dominus (1). Ora eum qui docet hominem scientiam, ut det tibi scientiam sanctorum, spiritu intelligentiæ repleat te : præbeat servo suo cor docile, fiantque omnes animæ tuæ facultates a Deo edoctæ. Veniam deprecare quod, verum tuum aversatus Doctorem, ad magistros inanes fallacesque deflexeris, dicendo cum Psalmista : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* (2). Denique cum fidelibus Christi Discipulis, summum illi studium tuum his verbis profitere : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* (3).

3. *Ad quid venit? Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum;* ad illuminandum *his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (4); ut scilicet instruaris in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, et ipsius Christi Jesu, qui est in nobis spes gloriæ (5). Ut doceat te non sapientiam hominum qui destruuntur, *sed Dei sapientiam, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit* (6). Ut implearis *in omnem plenitudinem Dei, et possis comprehendere cum om-*

(1) Jer. 3. — (2) Ps. 118. — (3) Joan. 6. — (4) Luc. 1. — (5) Coloss. 2. — (6) 1 Cor. 2.

nibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi (1). Metire etenim istam Hostiæ brevitatem, qua sese exinanivit Deus majestatis ut tui juris fieret, et perspectas habebis omnes ejus amoris dimensiones.

Verum et agnosce quæ sit supereminens virtus Magistri tui; non enim vox ejus forinsecus tantum corporis auribus insonabit, sed ipse *dabit leges suas in corde tuo, et in mente tua superscribet eas* (2); ipse largietur tibi *spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus, et illuminatos oculos cordis, ut scias quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis* (3). Tantam igitur eximii tui Doctoris demiratus virtutem et sapientiam, cum regina Saba (ecce enim plusquam Salomon hic) exclama : *Beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam* (4); vel cum Psalmista : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (5).

Sedens cum Magdalena secus pedes Domini, ausculta sermones ejus, quoniam veniens evangelizabit tibi pacem. *Audiam*, inquies, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam* (6).

(1) Eph. 3. — (2) Hebr. 8. — (3) Eph. 1. — (4) 3 Reg. 10. — (5) Ps. 93. — (6) Ps. 84.

Hactenus viam tam desiderandæ pacis non cognovisti, quæ in perfecta cupiditatum et pravorum affectuum posita est cohibitione, carnisque et sensuum afflictatione : obsecra itaque cœlestem tuum Magistrum, ut edoceat te absconditam illam crucis sapientiam; adeo ut cum Apostolo possis dicere : *Non judicavi me scire aliquid nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (1).

FERIA IV.

JESUS NOSTRARUM MEDICUS ANIMARUM.

1. *Quis venit?* Christus Jesus *sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo* (2). Etenim ab Adami lapsu, omne genus humanum, veluti quidam ægrotus jacebat in terra desperato morbo laborans : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas, sed vulnus et livor et plaga tumens, quæ non erat circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo* (3).

« Quærendus erat medicus, inquit beatus » Ambrosius; sed quis iste tantus, qui sau- » ciæ mentis (humanæ) medeatur ulceri- » bus? Quis homo tantus, qui possit aliis » subvenire, cum ipse sibi non possit? Quis » aliis posset vitam reddere, cum ipse mor-

(1) 1 Cor. 2. — (2) Matth. 4. — (3) Isai. 1.

» tem non possit evadere? Omnes enim in » Adam moriuntur; quia *per unum ho-* » *minem peccatum intravit in mundum, et* » *per peccatum mors, et ita in omnes homi-* » *nes mors pertransivit* (1). Denique missi sunt » sancti, missi sunt Prophetæ qui oracula » divina loquerentur, nec quidquam promo- » vere potuerunt. Quæramus ergo aliquem » de Angelis aut Archangelis medicum : sed » quomodo mihi possunt præsidium ferre ne » peccem, cum ipse Archangelus a peccato » non abstinuerit? Qua ratione ad Paradi- » sum Angelus revocare me poterit, cum » ipse Satanas et Angeli sui sedem quam ac- » ceperant non servaverint? (2) »

Idcirco misit Pater Verbum suum ut ægrum sanaret, et ipse æterni Patris Filius magnus de cœlo descendit Medicus; viso ægroto quem latrones, seu dæmones, despoliatum, et, multis plagis impositis, semivivum reliquerant, *non pertransiit, sed misericordia motus est, et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum, et curam illius egit* (3). Collige ergo et adhortare omnes animæ tuæ facultates, ut superexaltent nomen sanctum ejus, istud Psalmist. iterando : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini*

(1) Rom. 5. — (2) Comment. in cap. 4 Joan. — (3) Luc. 10.

sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua (1).

2. *Ad quem venit?* Ad ægrotum quem *circumdederunt mala quorum non est numerus* (2). Namque in corpore mortis hujus circumfers ubique legem membrorum repugnantem legi mentis, et captivantem te in lege peccati (3) : intellectum tuum excæcavit ignorantia; *animalis* siquidem *homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi et non potest intelligere* (4). Voluntatem vero inflammavit triplex illa concupiscentia apud B. Joannem recensita, ex qua, veluti e fonte quodam, scaturiunt et exæstuant omnes animæ pravi motus et affectus, qui sicuti febres acutissimæ mentem, animum sensumque perturbant et excruciant (5) : « Febris enim nostra, ait S. Ambrosius, avaritia est, Febris nostra libido » est, febris nostra luxuria est, febris nostra » ambitio est, febris nostra iracundia est (6). » Hæ omnes utpote febre flagrantiores, animam gravius præcipitant.

(1) Psal. 102. — (2) Psal. 39. — (3) Rom. 7. — (4) 1 Cor. 2. — (5) 1 Joan. 2. — (6) Comm. in c. 4 Joan.

At vero, quod deterius est, inquit S. Augustinus (1), venit ad ægrum qui mentem febribus perdidit, quique eo periculosius et desperatius ægrotat, quo sanum se esse judicat; venit ad phreneticum, qui et ipsa ægritudine qua mentem perdidit, ipsum medicum cecidit, vulneravit, occidit. Quænam igitur digna scelere tuo pœna? Nonne hanc justam audire comminationem promeruisti: Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamur eam, quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus, et elevatum est usque ad nubes (2)? Verumtamen ne despere: ubi medicus Deus est, nullus insanabilis morbus ei potest occurrere : *Unxit me Dominus*, ait ille, *ut mederer contritis corde* (3): confitere ergo peccatum tuum, et ipsius misericordiam his Psalmistæ verbis deposce: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, usquequo* (4)*? Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi* (5).

3. *Ad quid venit?* Non ut tolleret massam de ficis, sicut Isaias, et cataplasmaret super vulnus tuum, et sanaretur (6); sed ut de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta fa-

(1) Serm. 175. — (2) Jer. 51. — (3) Isai. 61. — (4) Ps. 6. — (5) Ps. 41. — (6) Isai. 38.

ceret (1) : namque *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus* (2). Christus enim, inquit S. Augustinus, « etiam cum occideretur medicus erat, » vapulabat et curabat, patiebatur phrene- » ticum, nec deserebat ægrotum; tenebatur, » alligabatur, colaphis percutiebatur, arun- » dine plagas accipiebat, irridebatur, insul- » tabatur ei, postremo audiebatur, dam- » nabatur, ligno suspendebatur, undique » circumfremebatur et medicus erat. Vis il- » lum, inter tot opprobria et supplicia, me- » dicum agnoscere? Audi ista verba : *Pater,* » *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (3). » (Peccatores) perdita mente sæviebant, et » medici sanguinem sæviendo fundebant..... » verum quando Dominus sanguinem funde- » bat, ipsam suam mortem ad medicamenti » confectionem impendebat. (4) »

Cum igitur in hoc sanctissimo Sacramento, tam efficax, tam præsens remedium præsto sit tibi, omnibus etiam desperatissimis vulneribus curandis sufficientissimum, *Quare non est obducta cicatrix tua* (5)? Non medicamenti, sed ægrotantis vitio. *Vis sanus*

(1) S. Aug. Sup. — (2) Isai. 53. — (3) Luc. 23. — (4) Sup. — (5) Jer. 8.

fieri? Da locum medico tuo cœlesti, *et non discedat a te, quia opera ejus tibi sunt necessaria* (1). Expone illi omnes animæ tuæ morbos, omnia vulnera. Dicito cum Lasari sororibus : *Domine, ecce quem amas infirmatur* (2); vel cum Propheta : *Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac et salvus ero* (3) : verum et tu noli poculum recusare, ait S. Augustinus : « Sanari non potes nisi » amarum calicem biberis, calicem tenta- » tionum, quibus abundat hæc vita, calicem » tribulationum, angustiarum, passionum. » Bibe, inquit medicus, bibe ut vivas; et ne » responderet ei languidus, Non possum, non » fero, non bibo, prior bibit medicus sa- » nus, ut bibere non dubitaret ægrotus (4). » Ne ergo manum ejus repellas, etiam si amputare voluerit et exurere : sed cum eodem S. Doctore clames : *Hic ure, hic seca, modo parcas, et in æternum parcas.*

FERIA V.

JESUS PASTOR NOSTER.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, Pastor et Episcopus animarum nostrarum, ad quem conversi sumus : *Omnes* enim *nos quasi oves*

(1) Eccli. 38. — (2) Joan. 17. — (3) Jer. 88. — (4) 1 Pet. 2.